



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Defensio Locorum S.  
Scriptvrae. De Ecclesia Catholica, Et Eivs Pastore  
Episcopo Romano, B. Petri, principis Apostolorum  
successore, libri duo. Aduersus nugatorias ...**

**Torres, Francisco de  
Coloniae Agrippinae, 1580**

**VD16 ZV 18729**

Capvt I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33634**

presbyteros. Sic Antonius vertit, neglecta nostra vetere interpretatione multo sinceriore, & meliore.

### Sophisma Turriani.

Timotheus fuit ordinatus cum impositione manuum  $\tau\epsilon\sigma\sigma\upsilon\tau\epsilon\pi\iota\varsigma$ , id est, cœtus Episcoporum ex Theophyl. Item cum Paulus presbyter esset, Antiochia electus fuit ordinatus Episcopus. Ex his igitur locis, & ex epist. ad Tim. & ad Titum constat Episcoporum esse ordinare Episcopos & presbyteros. Quare cum non sint Episcopi apud Protestantes, sequitur ipsorum ordinationes non esse legitimas.

### Solutio superioris Sophismatis.

#### C A P V T I.

Andem in locum valde lubricum se coniecit Turrianus, dum hoc argumentum adduxit. Nam si ex eo depellatur, vnam profecto lituram superioribus omnibus argumentis induxerit. Locum à me tractatum, & testimonijs scripturæ sanctæ septum & premunitum, quod episcoporum sit ordinare, lubricum mihi & difficilem ad tuendum esse arbitraris, à quo si depellar, actum esse dicis de meis rationibus, & me causa cecidisse non dubitas. Sed quia rursus vehementer metuis, ne depelli à te possim, callidè tibi præcauè dum esse putasti. Sic enim ais: at licet hic causam obtineret (ablit autem, vt obtineat) manebunt nihilominus superiores nostræ responsiones. Et pauld post: sed si ius ordinandi non habeant presbyteri, semper tamen firmum manebit, quod à nobis responsum est, probatum scilicet, in tantis ecclesiæ tenebris Deum summos illos viros donis egregijs instructos præter ordinem excitasse; vt ordinem ipsum instaurarent. Viros dixit, quos pauld antè commemorauerat, VViclesum, Ioannem Hus, Lutherum, Zuinglium, & alios quosdam, inquit, viros præstantissimos. Quid hoc aliud est, quam denunciare nobis, velle te nihilominus pertinaciter, & obstinatè in sententia tua heretica permanere? vt sis, sicut Apostolus de tuis similibus scripsit, subuersus, & tuo proprio iudicio condemnatus. Si, inquis, non potero tueri habere presbyteros ordinariè potestatem ordinandi, tuebor saltè potuisse eam habere extraordinariè. O miseros homines, quibus tam crasè illudit hic veterator. O comicum illusorem, si hac non successerit, alia, inquit, aggrediemur via. Videris habere in manu Delphicum gladium ad plures vsus accommodatum. Audiamus ergo iam Antonium. Episcopos, inquit, & presbyteros eosdem esse iure diuino, hinc manifestum est, quod presbyteri,

Quã crasè  
Antonius  
illudat suis,  
& quomodo  
lit comicus  
illusor.



byteri, & Episcopi vocabula ad rem eandem significandam tanquam synonyma in sacris literis vsurpantur, vt Tit. i. reliqui te Crete, vt constituas presbyteros, &c. oportet enim Episcopum sine crimine esse. 1. Pet. c. 5. Act. 20. Philip. 1. Non negabis Antoni prius fuisse res, quam nomina earum, & hoc postulasse consequentiam rerum, vt rebus inter se differentibus nomina inter se differentia indita essent. Testantur Apostoli lib. 8. cap. 46. Clementis Rom. qui eorum constitutiones conscripsit cum à Domino ἀκολουθία πραγμάτων, id est, consequentiam rerum didicissent, ijs quidem, quos Episcopos nominarunt, tribuisse ait ea, quæ ad principatum sacerdotij, qui ἀρχιερωσύνη dicitur, pertinebant: ijs verò, quos presbyteros vocarunt, ea quæ ad sacerdotium. Habes testes differentia rerum, id est, Episcopi, & presbyteri sanctos Apostolos auctore Clemente Apostolico scriptore. Si enim nulla esset differentia, non opus fuisset duobus nominibus, sed vnum satis erat, ait Clemens. Quòd verò postea in scriptura, qui episcopi sunt, quandoque vocentur presbyteri; & qui presbyteri quandoque episcopi, & virunque non sine causa & ratione; hæc communitas nominum non tollit differentia rerum, alioquin liceat tibi simili errore inducere, ordinem Angelorum non differre ab alijs ordinibus hierarchia celestis, quia omnes dicuntur Angeli; nec ordinem virtutum differre ab ordinibus aliorum calitum, quia omnibus conuenit nomen virtutum, vt Dionysius Areop. explicat. Argumentemur ergo, sicut Antonius docet, Angelos & virtutes esse eosdem, quia vocabulum angeli, & virtutes ad eandem rem significandam tanquam synonyma in scriptura vsurpantur. Vide quo serpat Antonitua argumētatio. discite igitur tandem, quæ sunt alioqui propria rerum vocabula, fieri interdum cōmunia, quia plures sunt res, quæ interdum significare necesse est, quæ sint vocabula. Quia ergo in Episcopo inest ordo presbyteri, qui Episcopus est, vocatur aliquando communi nomine in scriptura presbyter, ab ordine quem communem habet cum presbytero; sicut superiores ordines calitum vocantur Angeli, quia continent in se virtutes, & proprietates angelorum, quorum est extremus ordo. Rursus quia presbyterorum est præesse laicis, ab eo, quod commune habent modo suo cum episcopis, id est, ἀπὸ τοῦ ἐπισκοπῆν, qui sunt presbyteri tantum, dicuntur in scriptura aliquando episcopi, sicuti à virtute, quæ inest in omnibus calitibus. In omnibus enim sunt substantia, virtus, & operatio, vt tradit Dionysius. omnes etiam calites infra ordinem virtutum, dicuntur communi nomine virtutes. Sed hæc communitas nominis non tollit differentiam ordinum celestium, neque prohibet, quin propriè vocentur Angeli, qui sunt extremi ordinis; & propriè vocentur virtutes illi calites, qui sunt proximè supra potestates sic, quod interdum nomē episcoporum cōmune fiat sum presbyteris, non tollit differentiam ordinum: neque prohibet, quin propriè

De nominibus episcopi & presbyteri quid Clemens in constitit. Apost. tradiderit.

Quomodo argumentatione Antonij efficitur eundem esse ordinem Angelorum, & virtutum contra scripturam, quæ hos ordines distinxit.

Quomodo cōmunitas nominum interdum non tollit differentia rerum.



Quomodo  
Antonius  
dissimulat,  
quod non po-  
test refelle-  
re, & ut eos  
decipiat, q  
dissimula-  
tionem eius  
ignorat, ad  
cauillationes  
se conuertit

De canone  
Conci. Nic.  
qui iubet, ut  
vnius ciui-  
tatis non si-  
nisi vnus e-  
piscopus,  
quomodo  
eum ridet  
Antonius.

De interpre-  
tatione ve-  
teru in prin-  
cipio epist.  
ad Philipp.  
cum episco-  
pis, & dia-  
conis.

uocetur Episcopus, qui habet principatum sacerdotij: & proprie uocetur presbyter, qui sacerdotium. Hec & alia eodem pertinentia, qua libro priore de hierarchicis ordinationibus cap. 22. iam pridem scripsi, qua scio te legisse, refellere debuis, si poteras, sed quia non potuisti, ut decipias eos, qui hac ignorant, & aliquid dicere videaris, cauillaris more tuo in communitate nominum, nesciens distinguere proprium a communi; neque commune a proprio, sed omnia confundens, ut is contingit, qui non intelligunt, qua loquuntur, neque de quibus affirmat. Vnde quia in epistola ad Philipp. legis in saluatione cum episcopis & diaconis, concludit, plures olim fuisse vnius vrbs episcopos, nempe totidem, quot presbyteros, cum tamen, inquis, inter pontificios vna vrbs non alat duos Episcopos, non magis quam vna arbor duos erythacos Hoc dicto lepido in speciem prouerbij rides canonem Concilij Niceni, quem illi patres sanctissimi, & sapientissimi pontifices, id est, sequentes Romani Pontificis auctoritatem sanxerunt. Sic enim est in epist. Clementis prima, In singulis vero reliquis ciuitatibus singulos, & non binos, vel ternos, aut plures episcopos constitui precepit, qui episcoporum tantum vocabulo potirentur. Hoc Clemens a B. Petro constitutum ac iussum esse testatur. Canon vero Concilij Niceni iubet, ut non sit vnius ciuitatis nisi vnus episcopus; & in vna ecclesia castelli siue oppidi vnus sacerdos; presbyterum parochum intelligit. Disce ergo Antonii, vnam ciuitatem inter pontificios non alere duos episcopos, qui proprio vocabulo Episcopi uocentur, potest tamen alere plures presbyteros, parochos, qui a cura communi τὸ βασιλικὸν κῆρυ, quam habent, uocentur Episcopi, vocabulo communi, sicut paulo ante explicatum est. Sic erant Philippis, siue in Ecclesia Philippensi, plures presbyteri, quos vocabulo communi, & non proprio uocat Episcopos. Audi quid Theodoretus eruditiss. auctor scribat in principio commentationis sue in epistolam ad Philip. cum Episcopis, id est, cum presbyteris, utroque enim nomine uocabantur tunc (non dicit, ut tu falso dicis, eosdem esse) ut ex historia, inquit, Apostolorum perspicui potest, cum uocatis presbyteris Ephesius Miletum, dixit Apostolus, attendite uobis, & uniuerso gregi, in quo posuit uos spiritus sanctus, &c. Et ad Titum, Propterea reliqui te Creta, ut constituas per ciuitates τῶν ἐκκλησιῶν, sic legit Theod. siue, ut nos modo legimus, presbyteros, & paulo post, docens quales esse deberent, quos erat constituturus presbyteros, oportet, inquit, Episcopum, &c. quod etiam hoc in loco perspicuum est; coniunxit enim diaconos cum Episcopis, non facturus mentionem aliam presbyterorum. Adde, quod multi episcopi non possunt vni ciuitati praesse, atque Epaphroditum quidem in hac ipsa epist. Apostolum Philippensium appellauit, qua appellatio satis declarat fuisse illum episcopum eorum. Haec tamen Theod. Quanto melius est discere ex auctore probatissimo & valde antiquo, quam ex te, qui



neque res, neque vocabula distinguere didicisti? nec alios auctores, quam  
 tua secta magistros sequeris? Docet igitur te hic Theod. Si tamen intelligere, et  
 credere vis, qui proprio vocabulo dicuntur episcopi, communi dictos esse pres-  
 byteros; & rursus, qui proprio vocabulo vocantur presbyteri, communi voca-  
 tos esse episcopos. Quæ est in te tanta peruersitas, ut cum res, id est, ordines di-  
 stinguere planè videas, nisi cæcus es, quia interdum nomina vtriusq; ordinis alio-  
 qui propria, certa quadam ratione communia vtriusque fiant, idcirco distin-  
 ctionem rerum tollendam esse putes? Audi rursus Chrysostomum, cuius tu te-  
 stimonio uti soles, cum Episcopis & diaconis. Quid, inquit, hoc sibi vult? ita  
 ne vnus ne ciuitatis plures erant episcopi? nequaquam, sed hoc titulo designat  
 presbyteros. Tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune, adeo, vt E-  
 piscopus diceretur diaconus, hoc est, minister; vnde in epistola ad Timotheum  
 dicit, imple ministerium tuum, cum iam esset episcopus. Nam episcopum illum  
 fuisse declarat, sic illi scribens, manus nemini cito imposueris: ac rursus, noli ne-  
 gligere donum, quod datum est tibi per impositionem manuum presbyterij. Por-  
 rò haudquaquam presbyteri constituisent siue ordinassent episcopum ( hoc enim  
 significat χειροτονεῖν, & sic vertit interpret vetus Actor. 14. constituere ) ac  
 rursus ad Titum scribens ait, horum gratia reliqui te in Creta, vt constituas per  
 ciuitates presbyteros, quemadmodum & ego tibi prescripsi, si quis sine crimi-  
 ne, &c. & subiicit, oportet igitur Episcopum sine crimine esse. Igitur quemad-  
 modum dixi, olim & presbyteri vocabantur episcopi ac diaconi, hoc est, mini-  
 stri Christi. Vnde nunc quoq; complures episcopi cum ad episcopum scribunt,  
 conseniores, id est, compresbyterum, & comministrum appellant. Postea au-  
 tem proprium cuiq; vocabulum tributum est, vt alius dicatur presbyter, alius  
 Episcopus. Hactenus Chrysost. In eandem sententiam interpretatus est Theo-  
 phylactus Chrysostomum sequens, hoc amplius adiecit, quod rationem reddit,  
 cur qui erant presbyteri, episcopi vocabantur. confirmat item, quod Chrysost.  
 ait, non posse presbyteros Episcopum ordinare. Sic enim ait, καὶ πάλιν δὲ ἐδὶ-  
 δηθησιν μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τῶν πρεσβυτέρων, τῷ ἐπίσκο-  
 πῳ. οὐ γὰρ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνην. καὶ αὐτοὶ οἱ πρεσβύ-  
 τεροι ἐπίσκοποι ἐλέγοντο ὡς ἐπίσκοποι ὄντες δηλαδὴ καὶ αὐτοὶ τὸν λαὸν ὡς οὐ  
 κατὰ κράτος, καὶ φωνάζειν τοὺς δεομένους. Reddamus Latine. De dono siue gra-  
 tia data Timotheo, qua data, inquit, est tibi per impositionem manuum presby-  
 terij, id est, episcoporum; nec enim presbyteri episcopum ordinabant. Ac rursus  
 qui erant presbyteri dicebantur episcopi, vt qui ipsi etiam populum attende-  
 bant; vt quos opus esset, purgarent, & illuminarent. Idem etiam Theophyla-  
 ctus confirmat ibidem quod Chrysostomus, non posse in vna ciuitate duos esse  
 episcopos, quod tu Antoni ridere mihi visus es satis ridiculè, & imperitè, ne quæ

Quomodo  
 Antonius  
 neq; res, ne-  
 que vocabu-  
 la reru scit  
 distinguere.



Mira Antonij peruitia in neganda differentia Episcoporum & presbyterorum, mira stupiditas eorum, qui non intelligunt se ab isto decipi. Quomodo nondum reperit Antonius quid cauiletur in S. Anacleto, qui ait duos esse ordines sacerdotum episcoporum, & presbyterorum. Quomodo Antonius dissimulat quod responsum esse non ignorat ad id, quod non pudet obijcere, quod alio qui sciebat iam expeditam esse. Quomodo in libris de hierarchicis ordinationibus explicatum sit distinctio Apostolorum Episcopos pastores à presbyteris pastoribus quod Antonius nunc requirit.

gravius dicā. Non possum satis mirari, cum nullies legeris apud antiquos auctores, episcopos in locum Apostolorum successisse, presbyteros in locum LXX. discipulorum, tantam esse in te peruitiam, ut adhuc contendas non differre inter se; & tantam esse eorum stupiditatem, qui te non intelligunt fallere vulgus simplicium. Non legis in epist. S. Anacleti Pontificis Apostolici, duo sunt ordines sacerdotum, Episcoporum, & presbyterorum? Quomodo in his cauilleris, adhuc non audio. Sed prosequamur tua, & respondeamus sigillatim ad omnia, non propter te, sed propter alios. Tu enim indignus visus es omnibus, cui respondere debuissim, sed ut dixi, facio id propter simpliciores quos decipis, quibus debitor sum. Quin etiam, inquit, Ephes. 4. ubi Paulus recenset præcipua ecclesie munera, pastores & doctores nominat, certè non omissurus eximium Episcoporum ordinem & gradum, siquidem tunc inter episcopos eminebant. Nam Turrianus non auderet presbyteris parochis denegare pastoris nomen: debuit igitur Paulus inter pastores distinguere; quemadmodum distinxit Apostolos ab Evangelistis, & Evangelistas ab ordinariis pastoribus. Qui meos libros de hierarchicis ordinationibus legisti, & te eos nunc discutere ais, quare dissimulasti, quod scripsi libro priore cap. 10. cum hunc locum epist. ad Ephes. explanarem? cur non resellebas, si poteras? aut si non poteras, ut quidem non potuisti, cur saltem non puduit hoc obijcere, quod sciebas illic explicatum esse? sed quia fortasse non meministi, repetam hic. Non omisit, Antoni belle, Paulus eximium illum episcoporum ordinem, ut tu dicis. sic enim scripsi, & ipse dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autem prophetas; diximus supra, auctoritatem diuini Dionysij sequuti, succedere propius in locum Apostolorum primos episcopos prouinciarum: deinde reliquos Episcopos, qui sunt, ut Clemens libro 2. de constitutionibus Apost. ait, propheta populorum. Sed de huiusmodi prophetis, et qui nunc eorum locum teneant in ecclesia, & qua ratione, diximus paulo ante, illinc assumat, qui hic plura desiderat, ne eadem repetamus. Hac ego illic. Lege tu Antoni, qua superius scripseram cap. 6. cum explanarem locum epist. ad Corinth. quosdam posuit in Ecclesia primū Apostolos, secundo, prophetas, &c. illic copiosius doceo episcopos vocasse prophetas, confuta illa si potes; aut tacendo confirma. Redeo ad locum epist. ad Ephes. Paulo post prosequens explanationē loci, sic scripsi (sequitur deinde, alios autē pastores, et doctores) sacerdotes dicit, ut quidam sentiunt, quibus dat Deus charisma docendi, & gubernandi animas secundum mensuram donationis sua, quos à prophetis distinxit, quia non necesse est omnes pastores Episcopos esse, quorum est, ut diximus, immò, ut Clemens dixit, prophetare: est tamen necessarium doctores esse, immò non solum doctores esse, sic à docendi habitu dictos, sed hoc studiosè, & assidue facere,



ere. hoc enim significat, quod idem Apost. ad Tim. scripsit, ut hoc etiam obiter obseruemus, oportere Episcopum, quo nomine presbyterum quoque intelligi voluit, esse διδάκτικόν, id est, studiosum docendi, siue studio docendi deditum fieri enim potest, ut sit διδάσκαλος, & non sit διδακτικός. Hactenus ego illic. Sint igitur isti presbyteri parochi curam animarum habentes, quos dicis, pastores; habes in prophetis Episcopos pastores, & prophetas populorum. Non minor te nunquam vocabulum prophetarum in Paulo intellexisse, neque quos habeat nunc Ecclesia Prophetas, neque cur sic dicti. Disces ex nostris obseruationibus, si non pœnitet, aut pudet μεμνησθεσθαι. Cum igitur Apostolus prophetas dixit, pastores populorum, qui sunt Episcopi, intelligi voluit: cum verò alios pastores & doctores dixit, minores pastores, scilicet, infra prophetas, quos prius dixerat, necessario secundum consequentiam rerum intellexit. Ipse videris, an hoc probabiliter, id est, non sine ratione refelli à te possit. Illud etiam obseruandum est in hoc loco epist. ad Ephes. non dixisse, alios pastores, alios doctores, sicut in singulis superioribus dixerat alios, sed coniunctè dixit alios pastores, et doctores, ut intelligeremus presbyteros pastores, qui sunt, ut dixi, prophetis, id est, Episcopis pastoribus populorum subiecti. Sic enim vocat Apostolica constitutio libro 2. Clementis presbyteros, doctores cognitionis Dei; & cum presbyteros ordinat Episcopus, sic precatur. Hac prouidentia Domine Apostolis filij tui doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleuerunt, &c. istos pastores & doctores, id est, presbyteros habentes curam animarum, quos dicis, intellexit Apost. cum in epist. ad Tim. scripsit, qui benè præfunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maximè qui laborant in verbo, et doctrina. laborare enim in verbo & doctrina, doctorum est; præfesse autem pastorum, ut iam, si virumque coniungas in vnum, presbyterum habeas pastorem & doctorem ex illis, quos in epist. ad Ephe. dixit alios pastores & doctores, id est, alios presbyteros, qui præfessent, & docerent laborando in verbo & doctrina. Hic etiam locus epist. ad Timoth. de presbyteris, qui benè præfunt, & laborant in verbo & doctrina, satis declarat, si quis non sit valde obtusus, aut errore, ut tu, anticipatus, presbyteros esse Episcopo subiectos, & sub Episcopo militare; siquidem ad Episcopum tanquam ad patrem familias & ducem Ecclesiastice militie pertinet prouidere, ne mercede sua frudentur, sicut Dominus constituit. At, inquit Antonius, num obsecro, superiorem illum Episcopatus gradum hic omisisset Apostolus, si tunc locum in Ecclesia habuisset? Vult Antonius, ut sicut apostolus dixit, qui benè præfunt presbyteri, duplici, &c. Sic etiam dixisset, qui benè præfunt Episcopi, &c. sed quia non dixit, putat effici eosdè esse Episcopos, qui presbyteri, alioqui non prætermisisset Episcopos; quorum gloria potissimum est laborare in verbo & doctrina. Igno-

Episcopos esse pastores populorum, & prophetas populorum, & presbyteros parochos minores pastores infra Episcopos. Quare non dixerit apostolus alios pastores, & alios doctores, sed alios pastores & doctores. Presbyteros esse & dici in constit. Apost. doctores cognitionis Dei, & in ordinatione, doctores fidei. Quò locus epistolæ ad Tim. de ijs, qui bene præfunt presbyteri, quod duplici honore digni sint, satis declarat presbyteros esse Episcopo subiectos.



Quo ignoret  
Antonius,  
quid ad epi-  
scopū perti-  
near, & quid  
non.

Quare Pau-  
lus ad Tim.  
scripsit de  
presbyteris,  
quod essent  
duplici ho-  
nore digni,  
qui bene p-  
essent, & nō  
scripsit de e-  
piscopis si-  
militer.

Quam tidi-  
culū argu-  
meatur  
Antonius,  
non differre  
episcopos à  
presbyteris  
ex loco Pau-  
li ad Tim. q  
bene prz-  
sunt pres-  
teri, et cæ.

ras Antoni, vt video, non pertinere ad Episcopum, nisi vt illa solum gerat, & agat, qua ad suam diocesim, & ad loca eius spectant, iuxta canonem Apostolorum 3. 4. qui iubet ἐξείνα μόνον πρῶτον ἐκαστον ὄσα τῆ αὐτῆ προοικία ὄντι βάλει καὶ τοῦς ἐπ' αὐτῆν χεῖρας: immodò qui est primus inter Episcopos prouinciales, id est, qui est metropolitanus, & caput episcoporum sua prouincia, illa qua ad singulos episcopos suos in ecclesijs cuiusq; eorum pertinet, non tractat neq; gerit, hoc satis est, sicut eodem canone sancitum est, si in ijs, qua sunt extra ea, qua ad cuiusq; eorum ecclesias priuatè pertinent, qua canon vocat περιεχῆ & nihil sine auctoritate & sententia metropolitani fiat. Siue igitur Timotheus Ephesi episcopus iam esset caput aliorum episcoporum sua prouincia, siue futurus erat, ad eum pertinebat, videre, vt ministri ecclesiæ suæ non fraudarentur mercede sua, qua digni erant, & imprimis presbyteri, qui sunt primi adiutores episcopi, qui collaborant euangelio. De alijs verò episcopis, vt non erant ministri Timothei, sed comministri, ita non pertinebat ad eum hac ratione, eadem cura de illis, vt pertinebat de proprijs presbyteris ministris sue ecclesiæ, quod, vt paulò antè dixi, satis declarat, presbyteros esse ecclesiæ ministros, sicut sunt diaconi ministri episcoporum & presbyterorum, ac proinde presbyteros minores episcopo, p̄sertim cum statim subiungat apostolus aliud præceptū, cum ait, aduersus presbyterum accusationē noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Quis enim ignorat eum q̄ iudicatur, minorē esse suo iudice? Sed recitabo hic argumētum Antonij Sadeelis, quod ex hoc Pauli loco sagacissimè duxit, vt rideat saltē lector: Sic enim ait, Ita igitur ex hoc Pauli loco argumentemur, Cum Paulus eos describit, qui sunt inter presbyteros præstantissimi, dicit eos laborare in verbo & doctrina: at presbyteri æquè possunt laborare in verbo & doctrina ac episcopi (quod quidē Turrianus non negabit, qui licet non sit episcopus, sibi tamen videtur egregiā operam nauare in scribendo & docendo) nihil ergo habet episcopus, quo presbyteris antecellat. Quia laboro in scribendo & docendo, vt Antonius dicit, vult facere me ex presbytero episcopum, vt ipse suos ministros, quia laborant docendo, faciat ex laicis presbyteros. Sic enim docet Antonius argumentari ex loco Pauli, vt vtrunq; horum sequatur, Turrianum presbyterum esse episcopum, & Antoniū Sadeelem laicum esse presbyterum, quia ipse etiam laborat in scribendo & docendo, qui ita laborat, vt non duplici honore, vt ait Paulus, sed duplici contritione, vt ait propheta Hier. id est, duplici supplicio anime & corporis in geenna ignis dignus habendus sit. O valentem dialecticum, & priora analytica Aristotelis superantem. Ille enim docuit, quomodo ratio connexti cogat, vt cum superius concessum fuerit, inferius etiam concedendum sit, quod tribus terminis conficitur, Antonius verò plus aliquid, quomodo sine me-  
dio



dio connexo cum utroque extremo, efficiatur quod vult, ut hic facit: cum summationes & conclusionem ex quatuor terminis necit: qui sunt praestantissimi inter presbyteros, unus terminus: alter, laborantes in verbo & doctrina; tertius, presbyteri homonymè acceptus, id est, propriè & communiter: hanc enim vim habet argumentatio tua. Qui sunt praestantissimi inter presbyteros, id est, episcopi, laborant in verbo & doctrina; presbyteri, de quibus Paulus, laborant in verbo & doctrina; ergo presbyteri, de quibus Paulus, sunt praestantissimi inter presbyteros, id est, episcopi: at non hoc efficitur ex ijs, quae sumpta sunt. episcopi enim in excellentia & praestantia muneris sui fungendi cum alijs episcopis, qui sunt eiusdem ordinis, comparantur, ut iam cum dicimus, episcopos, qui laborant in verbo & doctrina, praestantissimos inter presbyteros, necesse sit presbyteros accipere communi vocabulo presbyterorum appellatos. In altera summatione presbyteri, de quibus Paulus, de ordine presbyterorum, id est, propriè dicti accipiendi sunt, ut ego docui; & sic accipiendū est vocabulum in conclusione, cum concluditur, ergo presbyteri de quibus Paulus, id est, qui benè praesunt, & insuper in verbo & doctrina laborant, praestantissimi sunt inter presbyteros, id est, inter eos, qui sunt sacerdotes ordinis presbyterorum. Duo enim sunt ordines sacerdotum, ait S. Anacletus, presbyterorum & episcoporum. Haecenus de argumentatione.

Quo Antonius tanquam bonus dialecticus sine medio cum extremis connexo, syllogizet.

## CAPUT II.

**V**ideamus nunc quemadmodū quod argumentatione tua futili adificasse tibi videbaris, idē destruas, et apud tuos prauaricatorē te constituas. Citasti enim in margine Can. Ecce ego, & Hier. ad Nepotia. dist. 95. Si voluisses, Antoni, probare, episcopos non esse eosdem, qui presbyteri, & testimonium huius Can. recitasset, nihil reliquisses contradicenti ad respondendum, nisi ut negaret fidem testimonij. Sed tu, bone patrone, quia totus ille canon inuehitur in insolentiam episcoporum, qui presbyteris, ne concionarentur, prohibebant, odio episcoporum obsecutus, aequari illis presbyteros existimasti: sed ut reliqua omnia eius canonis omittam, vnde intelligere poteras maiores esse episcopos, quos sacerdotes vocat, quam sint presbyteri, vel illud exemplum Christi & discipulorum te debuit admonere: Sed oderunt hoc, inquit, superbi sacerdotes in presbyterij nomine, qui nolunt hoc esse, quod Christus, qui discipulorum pedes lauit, qui baptizatus à Ioanne est: episcopos posuit vice Christi, & presbyteros vice discipulorum & Ioannis baptistae. An potuit clarius dicere maiores esse episcopos presbyteris? si enim non sunt maiores, nec fuerint discipuli minores, quam Christus, qui eorum pedes lauit, neq. minor

Quo Antonius suae causae prauaricator fiat.

Quo Antonius odio episcoporum obsecutus, in testimonio contra se recitato, episcopos presbyteris aequari existimavit.